



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An Laurentius tenore illarum litterarum Papalium fuerit validè
ordinatus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

C A S U S X C V I I I .

De litteris Dimissoriis.

LAURENTIUS minorista cùm neque à suo proprio Episcopo nuper defuncto , nec hodie à Capitulo , sede vacante, litteras Dimissorias obtinere potuerit , eas tandem Româ obtinuit , vi quarum possit Sacros Ordines suscipere à quocunque legitimo Episcopo. Adit proin Statim Ambrosium Episcopum vicinioris Dioecesis , nullis aliis litteris à Capitulo , sede vacante , acceptis , à quo sacris Ordinibus initiatur. Post susceptos sacros Ordines inaudit , Summum Pontificem , altero mox ab acceptis litteris Pontificiis die , piè in Domino obiisse.

QUÆR. I. An Laurentius tenore illarum litterarum Papalium fuerit valide Ordinatus ?

QUÆR. II. An si fuit ordinatus sine aliis litteris à proprio Episcopo , vel à Capitulo , sede vacante , acceptis , suspensionem incurrit ?

QUÆR. III. An , & quando Capitulum , sede vacante , Dimissorias dare posse ?

AD I. Q. posse Summum Pontificem etiam litteras dimissorias dare , ut quis à quocunque Episcopo Ordinari possit , imò & privilegium concedere , ut sine illis ordinetur , patet ex C. sèpè 1. h. tit. in 6. & ex eo , quòd summus Pontifex sit Episcopus Ordinarius omnium fidelium. Dubium autem , & quæstio est , an litteræ Dimissoriæ à Papa concessæ , si antequam executioni mandentur , & re adhuc integra
Kk kk 2 moria-

moriatur concedens , morte concedentis extipirent ? Ad quod

584 Dicendum est cum Barbos. alleg. 7. n. 23. Navar. in C. plau- cuit de pœnis, dist. 6. & aliis non exspirare , sed retinere adhuc suam efficaciam, & valorem , ut illarum tenore possit quis validè ordinari , quamdiu à Successore non revocantur. Ratio est, quia etiam litteræ Dimissoriales habent rationem gratiæ factæ , & beneficii ; gratia autem facta, etiam re integra , non exspirat morte concedentis , sed durat etiam post mortem , nisi à Successore revocetur , ut constat ex C. si gratiōsē s. de rescript. in 6. Cui conlonat etiam Gloss. in C. si cui de Præb. ubi ait: Nota, quòd gratia facta non exspiret morte concedentis, etiamsi ejus effectus non sit adimpletus. Id ipsum procedit de Dimissoriis datis à proprio Episcopo, quæ, nisi fuerint revocatae, morte concedentis non exspirant ob allatam rationem. Ex his constat, Laurentium validè ordinatum fuisse.

Porrò in litteris dimissoriis ex- primi debet, quinam Ordines vi illarum sint conferendi ; nam sub data licentia recipiendi solum Ordines minores , vel ordines absolute , non comprehenduntur Ordines majores, quia facul-

tas hæc , ut notant DD. cen- setur esse stricti juris , arg. C. I. b. tit. Præterea debent hæ continere testimonium de natalibus, ætate, scientia, & moribus, prout exigit, & declarat Trident. Sess. 23. c. 8. de reformat. Unde

Ad 2. Q. R. Si Laurentius 585 nullas alias litteras , sive testi- monium proprii Episcopi , seu Capituli , sede vacante, de vi- ta, & moribus secum attulit , neque id expressum fuerit in litteris Dimissoriis Pontificiis, jux- ta Trident. citt. Sess. 23. c. 8. suspensionem incurrit ; nam licet ordinari potuerit ab alio Episco- po sine Dimissoriis à suo Episco- po obtentis , necessarium tamen est , ut testimonium habeat de vita , & morum honestate, se- cùs & sic Ordinatus , & ipse Ordinans suspensionem incident secundūm citt. Trident. quod I. c. ita loquitur : *Unusquisque au- tem à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri pe- tet, nullatenus id ei, etiam cuius- vis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam Sta- tutis temporibus permittratur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur, si secùs fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, si suspensus.*

Hinc